



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **S. Odilo Abbas. Cura defunctorum**

**[Köln], [1654]**

S. Euphrasia Virgo. Amor Crucifixi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



**S. EUPHRASIA VIRGO.**

*Amor Crucifixi.*

Deus qui S. EUPHRASIAM, mundi illecebras & dæmonum furias, virtute Crucis, triumphare fecisti; nos quoque in Crucifixi dilectione firmatos, fac cuncta adversantia ejusdem præsidio superare.

*Ora pro amatoribus Crucis.*



**A**NTIGONI Senatoris uxor, & Theodosii Imperatoris affinis Eupraxia, cum viro orbata importunius sollicitari se ad nuptias secundas videret; assumptâ substantiæ suæ parte bona, filiolaque EUPHRASIA, licet jam viro subarrhata, in Ægyptum abiit: ubi pijs operibus vacans, & monasteria obiens, cum aliquando vellet sub noctem recedere, amplexa Crucifixum septennis puella, negavit se inde avellendam. Commendavit ergo illam Abbatissæ mater, & ambæ monasticam indutæ vestem, quiete vivebant in humili subiectione. Orbatur dein matre sua duodennis EUPHRASIA, & Imperator mittit quæ eam sponso adducant: sed generose rescribit, se Christo jam nuptam. Exinde quam ante operosius ad omnem sese exercens virtutem, sui que ac dæmonis identidem molesti victrix egregia, ad annum 30 ætatis pervenit. Tunc morituram Abbatissa divinitus intellexit; idem intellexit etiam ipsa, & benedictione illius accepta, soluta anima evolavit ad sponsum. Corpus matri contumelatum fuit in Thebaide post an. 410. Græci eam etiam colunt 15 Julii.

*Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, &c.*  
*Et ad me conversio ejus. Cant. 1 & 7.*